

Cassiani lectione percepto docuerunt, suaserunt, A sententiæ vere apostolicæ, et aureis litteris consi- hunc

Nocturna versate manū, versate diurna.

Hunc veluti speculum monachorum, immo vivam monasticæ vitæ effigiem vobis proponite, ab hoc verum et perfectum monachum vivis coloribus accuratissime depictum, et suis omnibus numeris absolutum recognoscite : ab hoc denique totius regularis disciplinæ institutionem, et veram consequendæ perfectionis viam, ac rationem a SS. Patribus et priscis monachis traditam, usurpatam et calcatam, perdiscite. Verum illud mementote, quantum intersit inter factores legis, et auditores, sive lectores. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur (Rom. II). Liceat ergo* B *verbis apostoli Jacobi vos commonere : Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos : quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo : consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, et perman- serit in ea, non auditor obliuio factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit (Jac. I). Cui*

sententiæ vere apostolicæ, et aureis litteris consi- guandæ, subiit mihi in mentem his versibus extem- poraneis, et ad captum juniorum accommodatis alludere, eosque vice coronidis huic præfationi ascri- bere, quibus ipse me primum, tum cæteros meæ conditionis consortes monachos ita alloquor et com- monefacio :

Quid frustra monachi pergis jactare cucullam?
Non vestis monachum; praxis at ipsa facit.
Nil nomen monachi, nil certa scientia morum,
Qui monachum deceant, praxis at ipsa iuvat.
Praxis habet meritum, praxis sibi præmia regni
Vindicat æterni; praxis ad astra vehit.
Vis veram monachi cum nomine ferre cucullam?
Fac dignam monachi nomine praxin ames.
At veram monachi dignamque hoc nomine praxin
Discere si gestis, hanc liber iste docet.
Ecquid enim veterum mores, exempla Patrum
Quam monachi speculum, certa que norma fuit?
Disce ergo monachi quæ sit certissima praxis,
Exemplo veterum, qui præere, Patrum
At didicisse parum est, nisi res, paraxisque sequatur;
Quodque scias, factis te didicisse probes.
Scilicet in speculo qui se spectando tumescit,
Protinus ille vultus inmemor inde sui.
Sic expers operum, et sanctæ speculatio praxis
Nil præter monachi nomen inane refert.

Valete, fratres in Christo dilectissimi, et fraternam monitionem æqui bonique consulite.

ILLUSTRIMUM VIRORUM DE J. CASSIANO TESTIMONIA.

S. Prosper Aquitanicus in Chronico, an. 436 : C

Joannes Monachus cognomento Cassianus Massiliæ insignis et facundus scriptor habetur.

Item in opusculo contra Collatorem :

Unius potissimum definitionem, quem non dubium est illis omnibus in sanctarum Scripturarum studio præstare, referemus.

Et paucis interjectis :

Igitur in libro, cujus prænotatio est : De protectione Dei, vir quidam sacerdotalis ordinis, qui disputandi usu inter eos, quibuscum egit, excellit, abbatem quemdam introducit de gratia et libero arbitrio disserentem.

Castor episcopus Aptensis in epistola liminari ad Cassianum :

Domno sanctitatis speciali gloria decorato, atque D per omnia memorando : sed et scientiarum decore pollenti, Patri scilicet Cassiano Castor, etc.

S. Benedictus in Regula cap. 24 :

Monachi omni tempore, sive jejunii, sive prandii fuerit, mox ut surrexerint a cœna, sedeant omnes in unum, et legat unus Collationes, vel vitas Patrum, aut certe aliquid quod ædificet audientes. (Et infra :) Si autem jejunii dies fuerit, dicta Vespera, parvo intervallo mox accedant ad lectionem Collationum, ut diximus, et lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permittit, omnibus in unum accurrentibus, per hanc moram lectionis, etc.

* Idem habet Honorius Augustodunensis : nisi quod pro Scythia Afrum astruit; et singularum col-

Et cap. 73 :

Ad perfectionem conversationis qui festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum : quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis : quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ auctoritatis, veteris ac novi Testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ? aut quis liber sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? nec non et Collationes Patrum, et instituta et vitæ illorum, et Regula sancti Patris nostri Basilii quid aliud sunt, nisi bene viventium, et obedientium monachorum exempla et instrumenta virtutum?

Gennadius presbyter Massiliensis in Catalogo Illustrium Virorum * :

Cassianus, natione Scythia, Constantinopoli a Joanne Magno episcopo diaconus ordinatus, apud Massiliam presbyter, condidit duo, id est, virorum et mulierum monasteria, quæ usque hodie exstant. Scripsit experientia magistrante, plano et librato sermone, ut et apertius dicam, sensu verba inveni- ens, et actione linguam movens, res omnium monachorum professioni necessarias, id est, de habitu monachi, de canonico orationum atque psalmodiarum modo, qui in monasteriis Ægypti die noctuque tenetur, libros tres, Institutionum librum unum, de origine, et qualitate, ac remediis octo, principalium vitiorum libros octo; singulos scilicet de singulis lationum titulos, sive argumenta inferius interserit.

vitiis libros expediens. Digessit etiam Collationes cum Patribus Ægypti habitans : et ad extremum rogatus a Leone archidiacono, postea urbis Romæ episcopo, scripsit adversus Nestorium de Incarnatione Domini libros septem; et in his scribendi apud Massiliam, et vivendi finem fecit, Theodosio et Valentiniano regnantibus.

S. Fulgentius :

S. Fulgentius Ruspensis episcopus, ut scribit auctor vitæ ejus, Ægyptiorum monachorum vitas admirabiles legens Institutionum simul atque Collationum spiritali meditatione succensus, memoratas terras navigio petere statuit, duabus videlicet ex causis, ut vel ibi deposito nomine abbatis, sub Regula viveret in humilitate; vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur.

Cassiodorus ad suos monachos Vivariensis cœnobii lib. de Institutione divin. lect. cap. 29 :

Cassianum presbyterum, qui scripsit de Institutione fidelium monachorum, sedulo legite, frequenter audite; qui inter ipsa sancti propositi initia, octo principalia vitia dicit esse fugienda. Hic noxios motus animorum ita competenter insinuat, ut excessus suos hominem prius videre faciat, et vitare compellat, quos antea confusione caliginis ignorabat : qui tamen de libero arbitrio a B. Prospero jure culpatus est. Unde monemus ut in rebus talibus excedentem sub cautela legere debeatis.

Idem in expositione psalmi LXIX ^a :

Hunc locum facundissimus Cassianus in decima Collatione, plurima de ejus utilitate disserens, tanto honore concelebrat, ut quidquid monachi assumpserint, sine hujus versiculi trina iteratione non inchoarent.

Joannes Climacus gradu 4 suæ Scalæ :

Ex obedientia humilitas nascitur; ex humilitate discretio, ut a magno quoque Cassiano in eo sermone quem de discretione conscripsit, venustissime, atque altissime disputatum est.

Gregorius Turonicus lib. x Histor. Franc. cap. 29, agens de Pelagia matre S. Aredii.

Cœnobium (inquit) fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilii, et reliquorum abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ; beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante.

Photius episcopus Constantinop. Bibliothecæ cod. 197 ^b

Cassiani monachi Regulæ monachorum Ægypti ^c; De octo vitiosis cogitationibus; Libellus trium Collationum. Lectus libellus quo Cassiani Monachi (patria ^d Romani) libro duo continebantur : eorum alter Castori cuidam episcopo nuncupatur, qui hunc ab illo scribi postularat. Formas autem ac regulas præscribit, ex quarum præscripto vivunt in Ægypto

^a Quod scilicet incipit, *Deus, in adjutorium meum intende*, etc.

^b Ex versione P. Andreae Scotti.

^c Sic iste libellus Cassiani [inscripsit, quos vidit Græce translatos.

monachi, per cœtus illos distributi, quos ex vocis origine petita ratione cœnobita nominant. Alter quoque liber eidem inscriptus ab octo illis (vitiosis cogitationibus) titulum mutuatur, quibus gulam, luxuriam, avaritiam, iram, invidiam, acediam, inanem gloriam, atque superbiam attribuit; utilissima vero, si quæ alia, hæc iis sunt pronuntiata, qui religiosam inire vitam cupiunt. Et vero tanta iis vis inest, ac quasi divinitas, ut et in hunc usque diem, si quis monachorum conventus hac ex forma, et hisce præceptionibus gubernetur, revera tantisper floreat, cæterisque prælucescens virtutum esse officina cernatur : cum qui hæc repudiarit cœtus, parvis quibusdam virtutum reliquiis instructus, veluti in fluctibus jactetur, vel etiam naufragium faciat. Quare expedit nihil eorum, quæ ibi traduntur, contemnere. Nam Dominicæ hæc legis sunt, atque Evangelicæ disciplinæ expositio et explanatio. Cæterum sensibus ipsa quoque apud eum respondet elocutio, ut quæ non perspicuitatem solum afferat, sed ea insuper sit facultate prædita, ut facile ac sine ulla vi hominum animis imprimatur, quin et eosdem pervadere atque ad institutum suum attrahere queat. Immo sapienter adeo sunt omnia, et dextre temperata atque efformata, ut nec tropologiis liber secundus destituatur, sed multa contineat quæ demulceant atque alliciant : ac plura etiam, quæ cum metum ac terrorem incutiant, tum pœnitentiam commovendi vim habeant. Tertium his adjunctum libellum legimus, quem a Castoris episcopi morte inscripsit cœnobii illius moderatori, cujus cœnobii causa, et Regulæ illæ prius missæ fuerant. Qui quidem libellus iis quos jam annumeravimus assimilis est. Docet enim in primis qui discretio sit, etc. Vide cætera apud eundem.

Rabanus ad c. 38 Regulæ D. Benedicti :

Sicut et Cassianus ait : Reficientibus fratribus sanctæ lectiones legantur, etc.

Burchardus episcopus Vormatiensis lib. VIII cap. 77, ex Concilio Moguntino cap. 6 :

Sanctimoniales in monasterio constitutæ omnibus diebus ad capitulum et ad Collationes veniant, et regulam a SS. Patribus illis constitutam diligenter observent.

Iisdem fere verbis apud Ivonem part. VII c. 95 profertur canon 59 concilii secundi Cabilonensis, quo præcipitur ut sanctimoniales omnibus diebus ad Collationem veniant.

Petrus Damiani cardinalis episcopus Ostiensis :

Petrus Damiani lib. V epist. 19, ubi de vestitu monachorum et clericorum agit : Quod si vobis dubium videtur, saltem vestrarum partium testimonio aurem accommodate : legite Collationes Patrum, quas Eucherius Lugdunensis episcopus elimato sermone abbreviare studuit : et si nobis credere non vultis,

^d An quia inter Latinos Massiliæ vixit? Nam Scytham natione fuisse ait Gennadius.

Ita Scottus. Ego puto mendum esse, vel ab alio additum.

saltem illius litteræ credite. Nam nos, eo doctore, A Collationum, et vitæ Patrum sanctorum, in quibus doctrina totius perfectionis, et ædificationis, ac sanctimoniam continetur.

S. Dominicus ^a :

S. Dominicus, ut in ejus vita legitur, satagens perfectorum imitari vestigia, et ad virtutum fastigia contendere, librum illum, qui Collationes Patrum inscribitur, studiose legendum suscepit, deditque operam ut lecta intelligentia comprehenderet, affectu sentiret, effectu exsequeretur, didicit enim ex eo puritatem cordis, contemplationis viam, omniumque virtutum perfectionem.

Vincentius Bellovacensis, in opere, *Specul. historial. lib. xx, § 18^b* :

Claruit eo tempore (Honorii imper.) vir illustris, prudens et facundus, Joannes Eremita, qui et Cassianus. Hic multa scripsit : inter quæ etiam vitas B Patrum in Ægypto compertas, doctrinasque et regulas datis ad plurimos libris exposuit. (Et infra :) Certe hujus opuscula multam ædificationem continent animarum, et luculento sermone nitescunt : nec inter multa antiquorum opuscula quidquam ad spirituales profectus, atque perfectionis apicem tendenti utilius arbitror me legisse. Nam et B. Pater noster Dominicus, ut in ejus vita legitur, librum illum qui Collationes Patrum inscribitur, studiose legens, ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas, magnum perfectionis apicem apprehendit. Agit siquidem liber iste de cordis puritate, de vitiis, et de omnium perfectione virtutum : cujus frequens lectio Christi discipulum ad multam cordis puritatem et ad contemplationis arcem, et totius spiritualis disciplinæ perfectionem, gratia opitulante, provexit.

S. Thomas Aquinas ^c :

Est hoc quoque in sancto viro memorabile, quod cum ei esset integrum, libenter solitus fuerit aliquid in Patrum Collationibus lectitare, ne ex rerum subtilium speculatione affectus ejus non nihil tepesceret, possetque se rursus facilius ad divina contemplanda colligere et erigere. Et in hoc quidem S. Dominicum sectatus est, quem in ejus libri lectione constat magnopere fuisse delectatum et ad magnam vitæ perfectionem incitatum atque promotum.

Quam libenter ac frequenter idem S. Thomas in sua Summa Theologica Cassianum citet, et ex eo vel argumenta depromat, vel suas conclusiones confirmet, videbit lector, si placuerit, in meis notationibus, in quibus si non omnia, certe pleraque loca notata reperiet.

Joannes a Turrecremata cardinalis tract. 107 in Regulam D. Benedicti, tractans verba supra citata ex cap. 42 :

Hoc, inquit, recte et sanctissime constitutum est, quia sic ex lectione illa monachi materiam ædificationis et devotionis haurire possunt, unde ad contemplationis altitudinem, silentii tempore valeant promoveri : et ad hæc recte electi sunt libri

^a Apud Surium 5 Augusti.

^b Idem habet S. Antonin. archiepisc. Florentinus part. II Hist. tit. 10.

B. Dionysius Carthusianus :

Quid de Joanne Cassiano ejusque scriptis senserit Dionysius Carthusianus, in præfationibus suæ paraphrasis satis ostendit. Nam in prima quidem inter venerabiles, ac devotissimos Patres æterna memoria dignos, Joannem Cassianum et Climacum annumerat. In secunda Collationibus præfixa, eundem illustrissimum Patrem nominat. In tertia Collationi undecimæ præmissa, cum aliis Doctoribus ecclesiasticis, quorum scripta obscuriora et difficiliora conferens : « Inter hujuscemodi, inquit, libros reputantur ac eminent volumina illustrissimi Patris præcipuique Doctoris omnium religiosorum, Joannis Cassiani. »

Joannes Trithemius in Catalogo Illustrium Virorum :

Joannes Cassianus, natione Scythæ, beati Joannis Chrysostomi Constantinopolitani episcopi quondam auditor atque discipulus, et ab eo diaconus ordinatus, post aliquot annos ab eodem, nescio propter quam causam expulsus, apud Massiliam presbyter consecratus, duo monasteria, virorum, scilicet, ac mulierum condidit : in quibus regularis disciplinæ fervor magnus pluribus annis permansit. Scripsit experientia magistra plura opuscula, in quibus etiam apud interpretem eloquii venustas conspicitur ; e quorum numero feruntur :

C De incarnatione Domini adversus Nestorium hæreticum lib. septem, quos scripsit rogatus a Leone archidiacono, postea Romanæ urbis episcopo.

De iustitutis monachorum, libri quatuor.

De octo capitalibus vitiis, libri octo.

Collationes SS. Patrum viginti quatuor.

In his Collationibus SS. Patrum, utilis et necessaria monachorum institutio est ; sed quia per B. Prosperum de arbitrii libertate, in certis reprehenditur, opuscula ejus inter apocrypha numerantur. Moritur tandem post multorum editionem librorum apud Massiliam, non sine opinione sanctitatis, Theodosio Valentiniano regnantibus, anno Domini 435.

D Petrus episcopus Equilinus, vulgo de Natalibus dictus, in Catalogo Sanctorum lib. VII cap. 59 :

S. Cassianus presbyter, de quo frater Vincentius et Gennadius, claruit tempore Honorii Imper., vir illustris et facundus, alio nomine dictus Eremita. Qui de Ecclesia^d Constantinop. per hæreticos ejectus in Massilia Galliæ presbyter ordinatus, duo condidit monasteria, virorum et mulierum, etc.

Cardinalis piæ memoriæ Bellarminus libro de Scrip-
toribus Ecclesiasticis :

Joannes Cassianus, S. Joannis Chrysostomi olim diaconus, et postea ad Gallias accedens ibique se-

^c Apud Surium in vita ejus 7 Martii.

^d Raphael Volaterranus habet (Hierosolymitana) Anthropol. lib. XIV.

dem figens apud Massiliam presbyter ordinatus, A scripsit latino idiomate :

De habitu monachorum, et de canonico orationum et psalmorum modo, lib. III.

Institutionum, I.

De origine et remedio octo principalium vitiorum, VIII.

Collationes Patrum, XXIV.

De Incarnatione Verbi, VII.

Et hoc opere expleto ad petitionem Leonis, postea summi pontificis, finem vivendi fecit, Theodosio juniore et Valentiniano regnantibus, ut testatur Genadius in libro de Viris Illustribus. Hæc omnia exstant, et utiliter legi possunt, excepta Collatione tertia decima, et paucis aliis, quæ in editione Romana notata sunt.

Joannes Maldonatus, Soc. Jesu theologus, in c. XXIV Lucæ :

Fuit Cassianus auctor catholicus et bonus : sed nullum tam pulchrum est corpus, ut nævo careat.

Hieronymus Platus, ejusdem Soc. Jesu theologus, de Bono Status Religiosi lib. II cap. 25 :

Joannes Cassianus, genere Scythæ, stylo cum primis Latinus, qui prius Chrysostomi discipulus, Massiliæ deinde monasterium ædificavit, in quo instituendo ac regendo non est dubitandum quin reipsea explicarit quæcumque ex SS. Patrum congressu ac sermone scriptis mandaverat, quæ scripta quantam perfectionem complectantur, notum est omnibus.

Antonius Possevinus, ejusdem Soc. Jesu theologus, in Apparatu sacro :

Joannes Cassianus Eremita scripsit de Institutis Renuntiantium libros duodecim, et Collationum SS. Patrum libros viginti quatuor : idque lingua Latina, quidquid secus aliqui existimarint, sive Trithemius, sive Dionysius Carthusianus. Ipse enim Cassianus libro Institutionum suarum primo cap. 3, et lib. v cap. 16, et Collat. 23 cap. 8, et plerumque alibi, cum ait secutum se fuisse emendatiorem translationem Bibliorum, intelligit Vulgatam nostram Latinam.

Ne quid tibi de antiquitate subtractum expostules, lector, en tibi reddimus versus quosdam ejus sæculi, auctore tamen incerto, in vetusto codice ante paraphrasim Dionysii Carthusiani excusos, quibus summaria singulorum librorum Cassiani argumenta perstringuntur.

Quos Opus hoc libros teneat cognoscere si vis,
Et quid quisque tenet : subscriptos perlege versus.

* Divum more juriscoss. vocat Imperatorem nempe Maximil. I, cui hos versus dicavit et librum obtulit.

En tibi quæsitos jam dudum, Dive^a, libellos,
Implens promissum, collegi corpus in unum.
Unius ore viri, quos Spiritus inclytus auctor
Obtulit Ecclesiæ, divo pro munere, matri,
Quæ sine fine suis æterno prospicit usu.
Denique bis senos præsentem corpore libros
Aspicias, quæso, sequitur quam congruus ordo.
Primus habet monachis habitus quis debeat esse.
Regula, psallendique modus datur inde secundo.
Tertius hoc iterum describit plenius ipsum,
Informatque novos per singula quartus alumnos.
Octo quidem reliqui, quos cernis adhuc superesse,
In se concludunt numerum totidem vitiorum.
Persequiturque suum proprio syntagmate monstrum
Unusquisque liber, dans quid sit, cuive cavendum.

B Hos collata Patrum celebri sermone priorum,
In duplici forma comitantur bis duodena.
Horum quodque tibi quid honestum conferat, audi.
Primus enim Moyses in primis scire duobus
Dat, quæ destinatio debeat, aut fore finis.
Discreteque jubet super omnia vivere fratres.
Pafnutius monachum docet inde relinquere mundum.
Corporis illecebræ, Daniele docente resiste.
Serapion iterum notat octo lues vitiorum.
Sanctorum loquitur de morte Theodorus abbas.
Carpitur improbitas Satanæ, vaga mensque Sereno,
Et de spiritibus traduntur multa sinistra.
Hortatur fratres Isaac Collatio bina
Orandum pure cum cordis simplicitate.
C Quid sit perfectum, quid castum, quidve parari,
Servarique Deo valeat custode, docemur
Collatis trinis præceptoris Cheremonis.
At summi veri divina cognitione,
Deque charismatibus confert tibi Nestoros abbas.
Dictat amicitiaë Joseph firmissima jura :
Monstrans præterea quæ diffinitio vera.
Ast genera hinc Pyamontia prosequitur mona-
[chorum.

Vitæ communis de fine, vel anachoresis
Colloquitur salubris Collatio multa Joannis.
Crimina purgandi condis præcepta, Pynuphi.
Vivere majori venia quinquagesimali
Tempore concedit Theonas : absolvit et illud :
Accedant nobis quare phantasmata noctis.
D Et cur sæpe malum quod nolumus, hoc operamur.
Concludunt omnes seniorum traditiones
Sermones Abrahamæ, de carnis lege demandæ.

Conjicio ex quibusdam indiciis illius veteris et primæ editionis an. 1497.

ANNO DOMINI
1497